

AN. 534, 44.

B. m.



E L E V T H E R I A  
XXV. PHILOSOPHIAE CANDIDATIS

QVI MAGISTRI CREANTVR  
RECTORE MAGNIFICO  
IOH. CHRISTOPH. GOTTSCHEDIO  
LOGICAE AC METAPHYSICAE PROFESSORE PVBL  
ET MAIORIS PRINCIPVM COLLEGII  
COLLEGIATO

PROCANCELLARIO SPLENDIDISSIMO  
GEORGIO FRIDERICO RICHTERO  
P. P. DE MINORI PRINCIPVM COLLEGIO  
BIBLIOTHECAE ACADEM. PRAEFECTO  
DECANO SPECTABILI  
CHRISTIANO AVGUSTO HAVSENIO  
MATHEMATVM PROFESS. PVBL

CARMINE EDICIT  
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P

D. XVI. FEBR. A. C. N. CI CI 10CC XXXX



L I P S I A E  
OFFICINA LANGENHEM



DEUTSCHER  
PHILOSOPHIAE  
MAGISTERIUM  
RECTORI MAGNITICO  
JOH. CHRISTOPH. GOTTSCHEDO  
LOCIS AC MATERIAS TRACTABILIS TAVL  
ET MAIORIS PRINCIPALIA COLLIGITI  
COLLEGITATO  
PROVINCIALITERIO SPLENDIDISSIMO  
GEORGIO FRIDERICIO RHOHTHO  
RE DE MINORI PRINCIPALI GÖTTSCHEO  
HISTORICARUM VOBIS TAVLA  
DECANO SPICATISSIMO  
CHRISTIANO AVASTO HASENIO  
MAGISTERIUM TAVLA  
CARMINA DUCIT  
JOH. FRIDER. CHRISTIAS TAV  
DZULTE A C. G. COC. 1655.

LIBRARY  
UNIVERSITY LIBRARIES  
Sachsen-Anhalt



V  
anam pro rebus speciem quicunque secuti  
• Errores varios exercent, in que dolores  
• Praecipitant, sese absoluunt, obstantia culpant.  
Neutrum iure. quod imperium nisi prava voluntas  
Deferret falsis, vltro meliora viderent.  
Illi omnes, vt quisque gregem sectatur et hircum,  
Ignarus verae qua ducat semita vitae,  
Libertate opus est, aiunt. Sed lege paranda  
Qua sit, vbi existat, sub qua noscenda figura,  
Ignorant pariter vulgo, qui scire fatentur.  
Non tibi liber ego videar, non qua libet ire,  
Non possim quae fert animus, nisi si quid ineptis  
Fragminibus librorum et glossis iura veterunt?

A 2

Atque

## III

Atque ea res quae sit credar nescire, meum que  
 Non sentire bonum? fidens ais, vt quis honesti  
 Officium ciuis simulas elapse catasta.  
 Te licet haud cogat dominus, vis, cella, catenae,  
 Curatae que cutis facies finat esse decorum,  
 Nil tamen ex istis concessum sumere tentes:  
 Non tua sunt bona, quae captas: tua nulla voluntas.  
 Aude aliquid pulcri; sapere aude: ni tamen hinc te  
 Fermentum reuocet iecoris vetus, aegra cupido,  
 Aut metus, aut marcens ignavia, spesue lucelli,  
 Quo minus efficias, quod suaferat ante voluntas.  
 Sperne voluptates: te splendor non iuuet auri:  
 Gloria non ducat: vera ratione gubernes.  
 Quidquid agis: tum tu dominos fugisse putator  
 Exemptus vinclis, ac re, non nomine, liber.  
 Non ea mancipio res in communie paratur.  
 Odit enim vitiis obnoxia corda, nec yllis  
 Publica diua locis turbae se miscet inerti:  
 Nec non et fortes animos, iam iam que tenentes,  
 Saepe fugit deprehensa: et adest ubi vita recedit:  
 Corpora qui primi mortales dura sub antris,  
 Qua fons, qua frondes, qua lecta glandis aceruu,

enpiA

C A

Segregis

IV  
Segregis in vitae misera ditione, fouebant; Non habet p  
Quod circum deserta et inhospita cuncta notarent; In  
Et pauidi filuis errarent praeda ferarum: Quod non habent  
Quamvis indociles recludere pectora verbis, Non posse  
Naturam fremitu tamen increpuere notueram. Ego in V  
Semiferos autem, turbae si credimus, istos, Superfluum  
Quanta potest mentis conamine maxima fingi, Superfluum  
Cui que hominum similis posthac non tecta reuisit, Superfluum  
Aurea libertas amplexa est glandis in usu. Scilicet atque  
Nempe hos non ratio, non fas, non iura tenebant; In  
Si lubet? hoc unum quaerebant: cetera, quae lex? T  
Quid decus? haud norant: sibi libera quaeque putabant.  
At rationis egens vis illa cupita petendi, Tunc quae sit  
Exitio citius, quam fortibus utilis ausis, Cuius sit  
Virtuti tribuetur? et illa, inimica saluti  
Praecipitet potius, quam seruet, summa bonorum? Iam  
Non nobis dubiae nocitura licentia vitae Non poterit  
Alternante animo, aut vergens in prava voluntas, Non poterit  
Libera dicetur: sed quae plenissima veri Non poterit  
Legibus admotis certa ratione regetur. Non poterit  
Cum vellent homines socialis praemia vitae, Non poterit  
Exosi loca sola, opis indiga, plena timoris, Non poterit

## VI.

Non ideo pulcro decedere iure volebant,  
 Et minus integra iam libertate putari,  
 Quod statuere sua quae vellent omnia lege.  
 Non velut ille, malus qui nollet seruus haberi,  
 Vni ego, dixit, hero, tu multis, legibus omnes  
 Subsumus. hic multos terret: metus inde tyrannum.  
 Sunt alii regum serui, regesque deorum,  
 Fatorum que dii, ad summam; parere necesse est.  
 Scilicet, vt dictis nonnulla reponere Daui,  
 Et liceat pretiis rem veris quamque putare;  
 Tam quibus inuitis sunt addita iura, tibi quam  
 Inuito dominus, variis obnoxia rebus  
 Turba, tibi aequales, tegat et si purpura, sunto.  
 Contra, iura quibus sunt cunque volentibus apta,  
 Hi, ne tu cumules iuxta temerarius omnes,  
 Immunes, nec in arbitrio censemur: in illis,  
 Vir bonus est Daui si forte vicarius, esto.  
 Nolis, quod nequeas. fieri natura vetat quod  
 Non potest. quae bona sunt si exerces, omnia polles.  
 Liber is est, qui more bono, qui legibus usus,  
 Audet iusta: nihil non audens, seruus habetur.  
 His diuersa agitant animo, qui summa capessunt,

GMI

ΣΑ

Vt

Ut magis in summo securi, quo magis infratimis  
 Quisquis agit, domini sub iniquis vritur ausis.  
 Scilicet induitur violandi copia iuris.  
 Ut mera libertas angore soluta metu que;  
 Vis que potestatis damno per vulgus habenda,  
 Muneris in speciem pulcros sibi sumit honores.  
 Sed cuicunque licet rerum pernoscere caussas,  
 Libera corda minus tanto mortalibus esse,  
 Quanto consiliis audent maiora, videbit.  
 Quo fit, vt ille minus cura vacet atque labore,  
 Sit que minus liber, moroso septus honore,  
 Quem quia mortales multi curant que timent que,  
 Multos continuo curet timeat que necesse est.  
 Quod si diua sub officiis ac legibus illa,  
 At ratio negat id fieri, constricta iaceret:  
 Magnus honor plus officiorum iniungeret, addens  
 Vincula et adstringens, quanto is se pluribus offert,  
 Ac populo debet, populus cui debita reddit.  
 Non igitur praefstat quod quaerimus vlla potestas,  
 Diuitiae que minus multo, plausus que theatri,  
 Et fluxis animum quae pascit, dira cupido,  
 Spem que dabit falsam, mox iras atque dolores.

Haec



VIII

Haec etenim seruos fere reddunt hos, quibus adsunt:  
Vnus liber erit sibi qui imperat, illa relinquit.  
Olim quisquis eis stimulis et carcere tortus,  
Vel sub auaritia turpi, vel Amore tyranno;  
Seruitium tolerasse memor fatearis iniquum.  
Stultitia quisquis, rude iam donatus, abisti,  
Intoleranda minus quaecunque ergastula dices.  
Nec pauci nugis vanos expendere honores  
Permissae soliti velut vnica praemia vitae:  
Si tibi dicendi quiduis datur ampla facultas:  
Dicendi recte? Bene habet: quando altius hac nil  
Libertate datur nobis nostrae que saluti.  
O mihi si semper contingat pauper amicus,  
Sortis blanditiis, aliaue probabilis vlla  
Non ope: sed veras qui fido e peccatore voces  
Nil metuens promat monitor, vino que disertus.  
Talia te vero non ducent. quaeritur ergo,  
Ut locus intempestive sit quaeque loquendi,  
Hora que coenandi, quae te iuuet, hora quieti,  
Standi dum placeat, spatiuum que deinde sedendi;  
Mores vt libitum est, nec moribus vlliis apti;  
Otia quando velis: tu cuilibet otia turbes.

caH

His

His tibi tu rebus liber videare potens que?  
 Hoc te felicem dices, seruum que putabis  
 Si quis temporibus, rationi, rebus, amicis  
 Diuidit haec, vero que vices humanior aptat?  
 Non animum rebus, sed honestis omnia caussis,  
 Et te, sis quamvis liber, submittere verum est.  
 Attamen haec ignara petens plebecula metam  
 Sepositam a vulgo magnis clamoribus vrget.  
 Ut sibi concessum, cuius ut debita iura,  
 Postulat hoc optatque bonum, quod nomine tantum  
 Nouit, et haud vnquam constanti lege tenebit.  
 Id neque vindicta, studiis nec inanibus, extra  
 Quaeritur. est animi. non fit: ratione paratur.  
 Vnius est sapientis, in aequa mente repostum.  
 O mihi iam dicenda cohors, tironis ab armis  
 Ad iustum veniens discrimen, et intima celsae  
 Arcis templa cito ac posito scansura pauore:  
 Legitimum est decus, huic nostro contendite ducti.  
 Praemia victores ritu meliore feretis,  
 Et pia non taciti ac tristis mysteria facri,  
 Quam quibus attonitos veterum delubra piarunt.  
 Sunt bona maturae, quae vos manet, omina laudis.

Illa que virtutis vos olim signa secutos,  
 Qua monstramus iter, vero transmittet honori.  
 Haec sacra litterulis manifesta in luce petuntur :  
 Nil tacitum. nec enim specubus detrusa madebunt  
 Corpora taurino lustrandorum vndique tabo:  
 Nec Cereris sacra sunt; aut mendax cista Lyaei:  
 Aut aliud sacri vice, quod delira vetustas  
 Credulitate mala expauit, nugas que silendas  
 Rem veluti magnam fido sub pectore pressit.  
 Nos aliter. Sacra sunt vt honesta, ita publica, nostra.  
 Et, ne vos subeat mirari, cur ego multum  
 Haec inter vera de libertate profatus,  
 Id repetam, puris animis ac libera dantur.  
 Attamen in verae quia nunc quoque limine vitae  
 Haeretis, dona haec cur sint immunia nostra,  
 Ingenuae qua re sint artes, lege solutae  
 Qua sint litterulae, quae prava licentia, tandem,  
 Conditione super vestra, mihi adeste docendi.  
 Iam primum simul huc in apertas tenditis vlnas  
 Clius Lipsiados, vacuum per inane tulistis  
 Incertos que pedes, plenos que erroris hiatus.  
 Ut tener in campo, docta mox arte domandus,

Huc

B

Huc modo et huc pullus procurrit ab vbere matris;  
 Saepe super cautes lapsus, saxosa que laesus  
 Per loca, saepe tulit per acutos pectora sentes:  
 Dum labor incessum moderatur, et vngula durat.  
 Nam custodis egens nondum se respicit aetas:  
 Nec tamen est illis monitor, non est comes ullus,  
 Qui nemus hoc nostrum instabiles plerique pererrant.  
 Quid veniant? qua ducat iter? non quaerere curant:  
 Et raro accedunt digito monstrare valentem.  
 More malo de se iuueni permittitur ipsi,  
 Quid statuat: perimit vitae concessa facultas.  
 Huic rerum in biuio, cum mens ignara laborat,  
 Et pauet, et specie vitii fere ducitur insons,  
 Arbitrio tali quae pestis acerbior obstet?  
 Huic pateant omnes aditus ad templa remota,  
 Qua vix deserto dignoscitur orbita cliuo;  
 Cui dare se fas sit, quanquam occurrente magistro,  
 Qui videat, nullo duce, praepediente iuuenta?  
 Iudicet hic, Bauium ne sequi velit, an ne Maronem?  
 Hic dicet, quantum satis est, ut claudere riuos  
 Lucifero veniente puer ne cesseret habebit,  
 Qui possit legem discendi scire, modumque?

## XII

Denique se doctum promittet et ipse magistrum?  
 Viuitur hoc pacto tamen, et placet error ephebis  
 Libertatis enim falso sub nomine vulgo.  
 Pernicosa datur petitur que licentia vitae.  
 Vos aliter, dilecta cohors: in pectore sancto  
 Qua ratio, qua lex valet, ac pulcrum decus, et fas,  
 Ingennas artes ac libera corda professi.  
 Tum, quod apud Musas, in celsa Palladis arce,  
 Creuistis, qua stet nemorosa Academia; qualem  
 Si maneant Graiae vix aspernentur Athenae,  
 Contemnat que senex nostros Gargettius hortos:  
 Talibus in studiis pulcro durate labori,  
 Aptæ que mansuro si pectora fertis honori,  
 Candida Palladiis libertas arcibus olim  
 Debita, continuo vestris sermonibus insit.  
 Nunc deus imperio ut firmet Germanica regna,  
 Incolumem Regem nobis conseruet et illis,  
 Saluam eius velit usque domum: pacemque per orbem  
 Terrarum, sacra, ius, artes, decus, integra praestet:  
 Si quales dixi, si pura mente litatis,  
 Expugnate ratis mecum pia numina votis.

\* \* \*

GEORGIVS CHRISTIANVS TAVBNERV<sup>S</sup>  
NEOHVSA MISNICVS

LVDI LITTERAR. LAUBANENSIS CORRECTOR

**N**eohusa in montanis Misniae ad Boiohemiae finem, qua Floae flumen eum diuidit, opidulum est. Ibi, ut puto, natus TAVBNERV<sup>S</sup>, aliquo tempore litteris in hac Academia operam dedit: neque ea res successu caruit, aut experientium virorum laude. Quam ob caussam, ut in litterario ludo Laubani Lusatiae municipio corrector merearet, anno superiore euocatus, summos Philosophiae profitendae honores ab ordine nostro et petiit, et codicillis eam in rem more maiorum editis, tulit: mox, secundum factam sibi cathedrae philosophicae potestate, ex ea publice dissertationem propositam disputauit.

IOHANNES GODOFREDVS ALBERTI

SCHAFSTADIO MISNICVS

CVRAE SACRORVM IN VICO MEGABOEHLAE DESIGNATVS

**S**chaffstadium, non procul Martisburgo ad occasum situm opidum, praefectura coniunctum est cum Laucstadio. Ibidiu-norum oraculorum interpres et sui ordinis senior fuerat Christianus Godofredus Alberti, qui ex vxore Iohanna Theodora Stengeria suscepit hunc Iohannem Godofredum. Literarum rudimentis ille per praeceptores, quos sedula parentum cura legerat, imbutus, a C. N. c<sup>lo</sup> Ioccxxv in gymnasium Martisburgense se contulit, ibique usus est doctrina Vhsei, Henkelii, Hoffmani, Kupferi, Kunadi. Gymnasio cum vale dixisset oratione, ut moris est, habita, Lipsiam transiit, in ciuibus nostris censu Klausingo rectore, a C. N. c<sup>lo</sup> Ioccxxxiii. In philosophia sectatus est Longolium et Birnbaum, artium magistros, et Hoffmanum, doctorem: in Theologia, Pfeifferum, Weisium, Tellerum, Wollum: in Hebraicis litteris, Sankium. A Weisio, quem maximopere colit, in numerum των φιλομαθέτων adscitum se esse praedicat. Denique, moderantibus Schaubio et Crusio artium magistris, dissertationes propositas publice defendit duas, alteram, de metaphysica caute tractanda, et de corruptelis intellectus a voluntate pendentibus, alteram.



XIII

In praesens curae sacrorum in vico, cui vocabulum Gross-Böhla, prope Offitium situm, designatus est.

PAVLLVS IACOBVS MARPERGER

NORIBERGENSIS

Patre optimo, cuius celebratum et gratissimum apud nos aliosque nomen est, cum is Noribergae curam facrorum eius ciuitatis orator haberet, prognatus est. Quibus verbis non est obscurum designari Bernardum Waltherum Marpergerum, Regis nostri in senatu ecclesiastico consiliarium et facrorum in aula regia Dresdae antistitem, virum consummata doctrina, exemplo totius vitae, meritis, muneribus, voluntate in hanc academiam eximia, venerandum. Is filium ineunte in pueritia constitutum Dresdam adduxit secum, et litterarum rudimentis, tum quibuscumque artibus informari haec aetas solet, diligenter instituendum curauit. A C. N. clo locc xxxvii ad hanc urbem adeundam dimissum, et citibus nostris adscriptum rectore magn. Walthero, idoneis in disciplinam doctoribus, mihique inter alios, tradidit. Ita autem hic versatus est noster, ut publicos ac probabiles carum artium, quas addiscendas sibi delegerat, doctores plerosque sedulo adiret, atque eorum paelectionibus ut interessebet. Humanitatis quidem litterarum et historiae caussa Masconium in primis sectatus, et ex nostro ordine, Menzium, Kappium, Loecherum, me quererum antiquarum in enarratione, assiduus audiuit. Eisdem quoque in litteris Marchio Frankio que operam dedit. Philosophiae addiscendae caussa Hausenium, Mullerum, Schoenium adiit, quem praesertim egregia in se voluntate fuisse, atque animum iuvenilem salutaribus paeceptis et consilio rexisse, gratius profitetur. Ab his studiis ad iurisprudentiae stadium rite atque ordine conuersus, Hommelio, Schoenio, Cramero, Laurentio, Riuino, doctoribus se vsum ait. Mox, vti per legitima quoque experimenta ingenium ac doctrinam acueret adprobaret que suam, animum adiecit ad colloquia et declamationes meas academicas, in quibus inde ab aliquo tempore, paeclarae indolis adolescentes, lectas ex omni litteratura et philologia paeceptiones, inuicem defendunt et oppugnant. His autem adeo constanter interfuit, ut ad enodandas varia-

variarum sententiarum difficultates, neque iudicium in eo subtile, neque memoriam eorum, quae didicisset, neque sermonis facultatem, vsquam desiderarem. Horum omnium, quibus auditor adfuit, non modo collatam in se agnoscit operam: verum etiam praedicta officia, et prolixam in se voluntatem virorum in aliis litterarum partibus, quam quibus ipse se dedit, celebrium, velut Waltheri, et cui perpetuus conuictor adfuit, Telleri: Platneri item et Quelmalzii. Sic institutus litterarum et philosophiae studiis velut aliquod corollarium additus denique, anno huius saeculi xxxviii primos philosophiae honores ab ordine nostro tulit, et anno superiore sententias propositas publice disputauit, defensore Christoph. Frider. Goetzi.

## CHRISTOPHORVS HENRICVS TRAPPIVS TIEFFENSEA SAXO

**P**atre Ieremia Trappio philos. magistro ac diuinorum oraculorum Tieffenseae interprete, et matre Christiana Elisabetha Kunauia, anno huius post Christum natum saeculi xviii prognatus, ab ipso patre in litteris institutus, easque artes diligenter doctus est, quibus informari puerilis aetas solet. Ad hanc academiam se contulit, et nomen inter ciues nostros professus est, a C. N. c/o loccxxxvi, rectore Riuino. Doctores inter nos studiis suis de legit, in philosophia, Menzium, Mullerum, Winclerum: in historia et philologia, Ioecherum, me que, cuius praelectionibus in primis publicis assiduus interfuit: in sacris litteris et theologiae causa, Klausingium, Deylingum, Hebenstreitum, Hoffmanum, Wollium. Secundum ea primis philosophiae honoribus ab ordine nostro est ornatus a C. N. c/o loccxxxviii, recitationes que anno superiore de *Originibus rei Romanae*, ut mos a maioribus est traditus, publice habuit, et theses philosophicas copiosas, atque honeste exercitae per omnes philosophiae partes industriae testes; nuper admodum, a. d. xxviii Ianuarii publicatas, e cathedra auditorii nostri, defensore sub se adscito Christ. Frider. Kargio, disceptauit.

ER.

Celebre inter eruditos nomen tulit ex meritis parentis Gottlieb Wernsdorffii, doctoris theologi Vitebergae primarii, superintendentis per eam dioecesis generalis, et consiliarii ecclesiast. Querfurtensis. Mater est Margar. Catharina, Gregorii a Nitzsch, consilii sanctioris praefidis et cancellarii Gottorpii filia, Phil. Lud. Hannekenii theologi item Vitebergici neptis. Ex his prognatus anno huius saeculi XVIII, domesticae institutionis causa puer admodum traditus est Michaeli et Bodeno magistris, qui nunc ambo ludis litterarii rectores praesunt, ille quidem Colditii, hic Vitebergae. Dein orbatus patre, sub disciplina, quam laudat, Boetgeri, nunc ludi Mulhusani rectoris, profecit. Deinde ad ludum Portensem se contulit, ibi que Walterum, Schrammum, Stubelium, Hubschium audiuit, et in primis Freytagium coluit, cuius etiam in domo et coniunctu belle se habitum profitetur. Inde cum Vitebergam tenderet, Klausenii nostri, velut alterius parentis, auctoritate Lipsiae se retentum ait, et ciuibus nostris a C. N. 1510 CCXXXVI. adscriptum, cum rector eset Boernerus. Mox commodum sibi accidisse, se que id grato animo agnoscere, vt annitente Carpzouio facrorum Lubecae antistite, auctore vero Gerkenio senatore eius urbis, Schabbeliani beneficii alumnus fieret. Doctores sectatus est in philosophia discenda, Mullerum et Crusium; in omni historia, Ioecherum; in scilicet Latini praecceptis, Kappium, deinde Ernestium; in oratoria et Germanice declamandi vsu, Gotschedium; in colloquiis academicis, quibus controversa theologiae capita excuterentur, Weisum et Hofmanum, Vitebergensis Academiae hoc tempore theologum. Prae omnibus se Clausingio adhaesisse, velut suscepit iuuenilis ingenii nutritio, atque ex eius sermonibus sigillatim et theologiam hausisse memorat, et omnem philosophiae ambitum; etiam acuisse sensum colloquiis academicis eius ductu institutis. Pro quibus beneficiis ac liberali coniunctu ei se felicem senectutem ex animo apprecari. A C. N. 1510 CCXXXVII. in aede Pauli Apostoli, solemni statu ob sacra instaurata, orationem habuit, de reformatione a Paulo III. P. R. tentata, et commentatorem a se compositam *de vera gloria* typis fecit exscribi. A C. N. 1510 CCXXXVIII.

de

de professoribus veteris ecclesiae martyribus disputauit, moderante Riuino. Secundum haec baccalaureus ab ordine nostro ante hos duos annos dictus, recitationes in C. Pedonis Albioniani elegiam secundam anno superiore per ferias Cereales more maiorum publice instituit. Subinde epistolas nonnullas, et nuper Latinam ad VVeisium, *de reuerentia cet.*, publicauit.

**GEORGIVS CHRISTIANVS TRAVSOLD**

H A M B U R G E N S I S

**P**atrem habuit Christianum Trausoldum picturae linearis in aereis tabulis radio inscribendae artificem; matrem Catharinam Margaretham Koenigiam. Eam artem vulgo, sed parum diserte, chalcographiam, aut quod est deterius, caelaturam, aut, qui pessime dicunt, sculpturam solent vocare. Habet autem commendationem atque auctoritatem ea res, cum suo ingenio, graphicæ elegantia, mira que manuum in ducendis lineis subtilitate, tum etiam, quod illæ tabulae chartis madidis, quæ bibant e fulcis atramentum, magna vi incusæ, quantauis copia facile multiplicant easdem lineas, parabili et gratissimo libris nostris et museis ornandis officio. Quod artificium noster, patre e viuis sublato, discendum primo, vt litterarum studiis aliqui ad fine, suauis auunculi, Conr. Koenigii, cuius laudat fidem et prouidentiam, sumvit: simul ad humanitatis litteras tractandas animuim adiecit. Ludis igitur in aliis vrbis patriæ aliquo tempore cum meruisset, ad Iohanneum Hamburgense, cui tum Hubnerus praefectus rector, se ait contulisse, ibi que magistris vsum fuisse Wernerò, Kunschio, Neudorfo, et, cuius imprimis voluntatem in se ac doctrinam praedicat, Mullero. In gymnasio eius vrbis audiuit Fabricium, Euersium, Reimaranum, Richelium, Dornemanum, Wolfium, qui et litteris ad humanitatem formarent, et philosophiae praeceptis ornarent. Sic instructus ad nostram academiam venit a C. N. CIOIO CCXXXVIII, ciibus adscriptus rectore Kappio. Doctores in hac vrbe habuit in rhetorica et re poetica, rursus Gottschedium; in litteris latinis, Ernestium, cuius in se prolixam fuisse voluntatem memorat; in Graecis, quantum ad narrationem characterum Theophrasti, Schafsaufium: in historia, Ioecherum: in re litteraria recentiore, Menzium: in iure, Riuinum, Hommelium, Mascouium, Petermanum, ac rursus Schellhaferum. Secundum ea anno

## XVIII

superiore prima philosophiae laurea ab ordine nostro est co-  
honestatus.

## FRIDERICVS AVGVSTVS IVNIVS

LIPSIEENSIS

Parentes habuit Ulricum Iunium mathematum quondam in  
hac academia professorem publicum, et Annam Elisabetham  
Oleariam, quos puer admodum rapientibus fatis amisit. Vtrius-  
que nominis apud nos grata memoria est. Ex his natus in hac  
urbre anno huius post C. N. saeculi XVIII, mature in discipli-  
nam datus fuit praceptoribus idoneis. Eos commemorat,  
Hebenstreitum, Schmeiferum, Optium, Cramerum, philoso-  
phiae magistros omnes, et hoc tempore diuinorum oraculo-  
rum, in suo quemque grege, interpres: eorumque valde lau-  
dat fidem atque industriam. Id praeferim ait factum, et alias  
quoque in se deriuatus commoditates fuisse, egregia cura et  
prudentia virorum, qui parentum vicem subirent, benevolen-  
tium. In quibus memorat nostri ordinis professores duos  
Olearium, eundem auunculum suum, hoc ipso tempore e-  
vocatum ad caelestia, et Menzium; neque non eo nomi-  
ne laudat celebrem inter nos medicinae doctorem Baltha-  
sarum Frider. Iacobi. In ludo quoque litterario ad aedem  
S. Nicolai meruit, atque institutus est praeceps Dresleri, Ort-  
lobii, Haltausii: quorum opera cum publice, tum etiam priua-  
tim, totis sex annis se profecisse gratus agnoscit. Post illa cen-  
sus est in academiae ciuibus a C. N. 1510 CCXXXVII. rectore  
Walthero et doctoribus usus est in philosophia, Oleario et  
Mullero; in mathematicis, Richtero; in litteris humanitatis et  
historia, rectore hoc tempore magnif. Gottschedio, Menzio,  
Kappio, Ioechero: quibus omnibus se plurimum debere profi-  
retur. In primis eo, et aliis nominibus, se obstrictum dicit af-  
fini suo Hebenstreitio, cui medicinam forensem docenti, et ca-  
dauera e disciplina artis fecanti, auditor adfuit. In iurispru-  
dentia addiscenda sectatus est Iureconsultorum ex ordine Ri-  
vinum, dein Mullerum, Feustelium, quem in historia quoque  
audiuit, Marchium, et Richterum artium magistrum. Ingenii  
denique exercendi causâ velitationibus colloquiorum inter-  
fuit, moderante philosophicis quidem, Oleario, iuridicis, Mylio.

CHRI-

## CHRISTIANVS GODOFREDVS SEYLERVS

NERCHAVIA MISNICVS

**N**erchaui opidulum Wurzenensis praefecture, non multum abest Milda fluvio, Grimae proprius quam Wurzenae. Ibi natus Christianus anno huius saeculi xx, patrem habet Ioh. Godofredum Seylerum, philosophiae magistrum et sacrorum curam in illo vico et Caneuitii plus annis xxxx. gerentem: matrem Annam Sophiam Reitzschiam. Mercaturaie primum destinatus exercendae, constanti in litterarum studia amore, et ingenii, ut solet fieri, experimentis peruerit, ut idoneis in disciplinam magistris traderetur. In his grato animo agnoscit fidem ac diligentiam Gismani, tum in Wurzeni ludo conrectoris, nunc ad sacrorum curam Porsenae, qui non procul Leucopetra vicus est, admoti. Inde Palaeopolis eum ad Plissam nostram institutione gymnasii poliuit sui, praeeuntibus Moerlino et praesertim Webero, cuius singularem in se erudiendo voluntatem dexteritatem que praedicat. Noster factus est ciuis a C. N. ccccxxxviii, Kappio rectore. In philosophia discenda sectatus Winclerum, et pressius Hoffinanum, cui item mathefeos cognitionem se debere ait: in theologia doctores, Pfeifferum, ad superos euocatum anno decurso, et in primis Weisium, cuius etiam operam dexteritatem que in ingenio adolescentis tentamine et per colloquia exercendo laudat. In legibus interpretandi oracula diuina tradendis Deylingium audiuit; in litteratura Hebraica, Chaldaica, cetera orientis antiqui, Hebenstreitium: rursus in colloquiis, Sanktium: in declamandi facultate, Gottschedium et Schellhaferum.

## IOHANNES GOTTLIEB FRIDERICI

LIPSIENSIS

**I**n hac vrbe natus a C.N. cccxxii, patre Gottlieb Friderici philosophiae ac medicinae doctore, in exercenda ea arte inter nos celebrato. Matrem habuit Annam Rosinam Waltheriam, quae ante annos aliquot fato concessit. Cum primum puerilis aetas admitteret doctrinam humanitatis litteris diligenter institutus est, Wollio praesertim egregio hanc in rem auctore. Eius enim singularia in se merita praedicat, et Grae-

cis Latinisque litteris ab eo se imbutum ait. Ciuius huius  
academiae adscriptus a C. N. CIOIOCC XXXV, rectore Lehe-  
mano. Wollii item ductu philosophiae se operam dedisse pro-  
fitetur, cum illius ad sensum, tum secundum placita Ridigeri.  
Doctoribus inter nos vsus est, in re litteraria cognitione que li-  
brorum, Ioechero; in physicae praeceptis, Richtero; in experi-  
mentis physicis, Menzio; in Matheis, vt vocant, pura, Winclero.  
In arte medica, cui se patris exemplo dedit, praeter ipsius exi-  
miam in filio erudiendo curam, quam gratus agnoscit et sum-  
mopere laudat, sectatus est primarios fere in illa tradenda vi-  
ros. Waltherum enim audiuit qua cliniken; Platnerum sectio-  
nis anatomicae, et manus medicae in vulneribus dexteritatem,  
ossum humani corporis structuram, morborum ingenia ac vi-  
ces, alia id genus, docentem; Hebenstreitium item in sectione  
cadauerum: cui ob praeclaram in se formando industriam et  
fidem plurimum ait debere. Eiusdem dexteritatis cauſa,  
atque in re herbaria addiscenda, Ludeuigii scholis interfuit, eo  
que praeente ac Pohlio, colloquiis academicis doctrinae cauſa,  
vt fit, institutis velitatus est. Cuius facultatis vt publice quo-  
que honesta ederet specimina, ter e cathedra publicatas defen-  
dit commentationes. Semel moderatore Bornio, *de poenis li-  
bertorum ingratorum apud Romanos*: iterum ac tertio sub Lu-  
deuigio, *de viis virinariis in foetu*, et *de liquore pericardii*. Et-  
iam sigillatim quaedam a se periclitandi ingenii cauſa elucubra-  
ta, veluti *de aetate aurea cet.* typis stanneis exscribi fecit; et  
nuperrime Wollio gratulabundus *de Pythia sapiente epistolam.*

JOHANNES CAROLVS RITTERVS

LIPSIENSIS

**N**atus in hac vrbe anno huius post C. N. facculi XVIII, pa-  
trem habuit cognominem, qui eo tempore ad supremam  
conuentus Misnici curiam iuridicalem, quae secundum tem-  
pora quaternis per annum iudiciis Lipsiae cogi solet, caussarum  
procurator fuit, simul villis academicis praefectus: matrem Io-  
hannam Vilelminam Graefiam. Orbatus patre in ipso aetatis  
ingressu, paternae vicis curam qui subiret, egregia beneuolen-  
tia inuentum fuisse Deylingium nostrum ait, eiusque prouidentiam  
praedicat, et fausta ei quaeque cum incolumente gratus  
appreca-

appreciatir. Melij item Iureconsulti curam laudat et propensam ad se ornandum voluntatem. Institutione domestica sub praceptoribus profecit Ludeuigio et Glattio, quorum iste ad ludum litterariorum Camentiam, non ignobile in Lusatia muncipium, postea vocatus est. Hinc in gymnasium Palaeopoleos ad Plissam concessit, ibi que magistros habuit, Moerlinum, cuius valde laudat diligentiam ac fidem, Weberum, Gschwendum, Meierum. Quale cum tirocinium posuisse in litterariorum studiis sibi videretur, in urbem redit patriam a C. N. c. 1500 XXXVII, censu noster factus rectore Walthero. Doctoribus usus est, in philosophia discenda, Wincero: in litteris Graecis et Hebraicis, Dekerto, ad curam facrorum postea vocato Butelstadium, quod est in Thuringia, qua nos Erfurtum petimus, opidum. Usus est etiam Sankio: in theologia, Klausino, Deylingio, Wollio, Hoffmano, et rursus Sankio. Tentando et colloquiis academiis ingenium exercuit duce Deylingio. Secundum ea nuper ei noster ordo primam philosophiae lauream decreuit.

IOHANNES ANDREAS VNGBEAVR

P O E L N I Z I O M I S N I C V S

**P**olnitii vocabulo Iena Neostadium ad Orilam venientibus vici viæ in medio duo occurunt, e quibus qui superior tractu ad Neostadium dicitur, Iohanni Andreae natalis est. Curae ibi facrorum praefest pater Andreas Iacobus, qui filium hunc ex vxore Sophia Elisabetha Hebenstreitia suscepit a C. N. c. 1500 XVI. Puer admodum educandus et litterarum rudimentis imbuendus traditus est auo materno, Ioh. Dauidi Hebenstreitio, qui Neostadii ad Orilam facrorum eo tempore item antifitites esset. Eius in disciplina octo annis crevit, et praceptorum praeterea habuit, Wendlerum A. M. et ludi in eo opido rectorem. Cum viuere desisset auus, Numburgum a patre deductus, ad rectorem tum ludi Numburgensis, ad finem sibi, nunc Torgauia in urbe facrorum antifititem primarium, qui his ipsis, quibus haec scribo, diebus summos in Theologia honores in academia nostra summis, Ioh. Christianum Stemlerum. Ibi quoque aliquandiu sub disciplina Peuceri et Schocheri, qui ludo litterario ea in urbe praecessent, fuit. Lipsiam venit a C. N. c. 1500 XXXIII, in ciubus nostris censu rectore Kappio. Theologiae primum et litteris Hebraicis operam dedit, Ioh. Christ. Hebenstreitio auunculo suo doctore,

## XXII

duce ac mohitore. In mathematicis et philosophia sectatus est, Hausenium, Gottschedium, Heinsum; in colloquiis academicis, Menzium. Deinde sectionibus cadauerum, Platnerio praemonstrante et praeunte, cum interfuisset, atque altero auunculo, et in hac re, et in aliis artis quoque medicae partibus, exercente eum, in animum induxit, ut medicinae facienda studia, prae illis, quibus ante adhaeserat, amplectetur. Secundum quae anno huius saeculi xxxviii dissertationem *de dentitione secunda iuniorum*, praefide auunculo suo, publice defendit, et alteram, *de historia foliorum in plantis moderante Plazio*. Epistolam quoque ad illum, quo imprimis doctore se vsum in arte addiscenda profitetur, a se conscriptam publicauit, *de epiphysibus ossium cetera*. Inter ea beneficiis quibusdam cum publicae munificentiae, tum etiam gratiosi medicorum ordinis, et nationis Misnicae, adiutus est.

LUDOVICVS WILHELMVS WILDENHAYN

S V E I N I Z E N S I S S A X O

**S**ueinizium est agri Saxonici, qua regi nostro subest, praefectura, in medio fere inter Torgauiam ac Vitebergam trans Elistrum sita. Ibi natus Ludouicus anno huius saeculi XII, patre Ioh. Georgio Wildenhayn Numburgo oriundo, qui praefecturam eam tum iussu regis gerebat. Mater fuit Iustina Sabina Zewikeria item Numburgensis. Secundum domesticam institutionem Lucaiam in Lusatia a parentibus missus, profecit in litteris sub disciplina Crugeri ac Thilonis, rectorum eius ludi, e quibus ille hoc tempore Chemnitii sacrorum antistes est. A C. N. clo lccc xxxviii Grimam se contulisse, eo que in ludo principalis munificentiae alumnis adscriptum sex ex more annis meruisse ait, sub magistris, Ermeilio, Schumachero, Eginolfo, Vlifio, Klimmio. Inter hoc vtroque orbatus parente, cum absoluisset id spatium, Lipsiam adiit a C. N. clo lccc xxxviii, nostris adscriptus ciuibus rectore Kappio. In philosophia potissimum se sectatum fuisse ait Gottschedium, academiae hoc tempore rectorem magnif. in theologia, Klausingium, Deylingum, Hebenstreitum, Tellerum.

JOHANNES CHRISTOPHORVS KINDIVS

WERDENSIS MISNICVS

**V**erdauia, sive, vt olim, Verda, non procul Cygnea vrbe opidum, neque longius multo abest a Plissae fonte.

Id

Id fluminis nomen, quando ei contigit Lipsiae latus irrigare, nobilissimis nostrorum studiis et poetarum carminibus satis celebratur, neque obscurum esse cuiquam potest. Atque ad eum fluuim Verdaua quoque sita, eadem praefectura cum Cygnea coniungitur. Ibi natus Kindius a C. N. clo Iocc xviii parentibus honestis, qui instituendum eum litteratura Latina et Graeca tradiderunt Vogtio, et Foerstero: quorum ille vivit caussarum patronus, iste ad plures abiit ludi litterarii Verdauae rector. Ab eo tempore in ludo Grimeni sex annos, ut mos est, exegit sub magistris Ermelio, Schumacher, Parfky, Wischlio et Hauptio: quibus omnibus plurimum se debere profitetur. Lipsiam translatus, nostris adscriptus est a C. N. c1010ccxxxv, Riuino rectore. Doctoribus operam dedit in addiscenda philosophia, Winclero; in mathesi, Hausio; in praeceptis stili latini, Kappio; in poesi, Gottschedio; in historia ciuili et litteraria, Ioechero; in Hebraicis Chaldaicisque litteris, Hebenstreitio et Clodio; in declamando, Pezoldo affini suo, et valde sibi, ut memorat, colendo: in legibus interpretandi sacra, Wollio; in morum e sacro codice praeceptis, Tellero; in symbolicis libris intellegendis, Boernerio; in reliqua theologia, Klausengio et Deylingio. Sub hoc praeferimus, et sub Weisio, tentamine ingenii et colloquiis academicis frequenter se exercitum ait: Weisi quoque benevolentia adiutum, atque τῶν φιλομαθέντων societate se adscriptum fuisse. Nuper natali Christi Seruatoris carmen heroicum in aede Pauli apostoli publice recitauit, et moderatore dehinc Bosio A. M. quaestionem super aliquo sacri codicis loco, in quo quadrigarum Solis mentio inesse videri potest, e cathedra defendit. His ipsis quoque diebus Weisio honores in theologia summos oda Latina adcurate gratulatus.

### JOHANNES GOTTLLOB BVRGER

NAUNDORFIO MISNICVS

**N**aundorffium, quod vicis plurimi vocabulum a nouitate in-ditum commune est, ad ipsum Lusatiae finem, in praefectura Radebergensi situm, distinctionis caussa maius appellatur. Ibi pater nostri Johannes Godofredus villae sua praefect, simul rem oeconomicam ill. Comitis a Friesen, Sconefeldio in vico, haud procul Dresden sito, curat; olim rationalis praefectu-

rae

## XXIII

rae Radebergenis. Ei natus est hic filius ex vxore Dorothea Wenzelia a C. N. 1510CCXV. Secundum domesticam institutionem in gymnasium Budissinense se deductum, plurima diligentia et fide litteris eruditum fuisse memorat, a magistris Bernauero, quem plurimum post fata laudat, eius gymnasium rectore, dein Iano, Kalmano atque aliis. In eo curriculo cum plus quinque annis exegisset, Lipsiam venit a C. N. 1510CCXXXVI, nostris adscriptus rectore Boernerio. In philosophia doctores habuit, Olearium, his ipsis diebus ad superos euocatum; Mullerum, Winclerum: in historia, Iecherum: in litteris Graecis, rursus Olearium: in Hebraicis, Hebenstreitium et Sankium: in theologia omni, Klausingium, quem praeclarum de se meritum ait: in partibus harum litterarum, Deylingium, Pfeifferum, Weisium, Tellerum, Pezoldum. Deylingii enim ductu tentamine et colloquiis ingenium acuisse, et futuri muneric leges didicisse; sub Tellero et Pezoldo declamandi pracepta, cum vtriusque benevolentiae praeicatione testatur. Adiutum praeterea se fuisse fauore Iacobi, doctoris medici inter nos celebris, et Menferi, aedilitia in decurionibus huius vrbis dignitate. Bis publice defendit petita e sacro codice argumenta, Mollero semel, et iterum Nahrio, philosophiae magistris moderantibus. Superiore quoque anno orationem in aede Pauli apostoli publice habuit. Nuper eum ordo noster prima philosophiae laurea cohonestauit.

PETRVS IOHANNES REINHART

CVRIA NARISCVS.

Natus anno huius saeculi XVII, patre Iohanne Antonio, qui artificium inducenda teatis ardesiae, dum viueret, exercuit; sic enim lapidis furui ac fissilis tabulas appellant vulgo: matre Anna Catharina Dumseria. Hi parentes ut filium pro pietate sua, quam praedicat ille, recte instituerent, Curiensi gymnasio tradiderunt, ubi sub Voelkelio, Troegeris duobus, Steinharto, Ottone, Kappio, aliisque magistris profecit. Eodem tempore se Longolium quoque cum fructu audiuisse testatur et theologiae caussae Mayerum sacerorum in eo opido antisitem. Lipsiam se contulit a C. N. 1510CCXXXVI atque inter ciues nostros census est rectore Boernerio. In hac vrbe manifestam in se adhuc extitisse diuini numinis benignitatem agnoscit, adiutus egregia multorum voluntate. Doctor

res

res habuit in stilis latini praeceptis, Kappium; in Hebraicis litteris et in metaphysica, Hebenfreitium: in litteris Graecis, Olearium: in omni philosophia, Winclerum: in logica, Ludeuigium, in historia sacra et ciuili, Ioecherum, meque: in theologia Boernerum, Klausingium, Deylingium, Pfeifferum, et rursus Hebenstreitium, et Weisium, et Tellerum, alios. Klausingium etiam, quo hospite vtitur benevolentie, in tentando acuendo que colloquiis ingenio ducem secutus, sub eo publice theses scheda promulgatas defendit. Secundum ea nuper ab ordine nostro Baccalaureus dictus est.

CEORGIVS HENRICVS GOETZIVS

LIPSIENSIS

**P**atrem habuit Danielem Goetzium huius urbis mercatorem: mater est Regina Margar. Rosenfeldia. A quibus multa educatus cura, domesticae institutionis caussa in disciplinam praefertim traditus est Ioh. Ad. Gschwendii artium magistri et hoc tempore Hierae in opido diuin. oraculorum interpretis, cuius fidem ac dexteritatem magnopere laudat. In ludum litterarium Portensem a C. N. CICIO CXXXI. delatus, et inter alumnos munificentiae principalis locum adeptus, praceptoribus Freytagio, Walthero, aliisque, quorum opera tum res illa constitit, et quos ob benevolentiam in se ac fidem valde praedicat, per annos sex profecit. Inde Lipsiam redux academicae ciuitati non men dedit rectore Walthero, atque ab eo tempore singularem in se voluntatem et humanitatem expertus est, viri ad benefaciendum non minus, quam ad doctrinam et recta consilia prompti, Weisi nostri, cuius plane se tutelae et custodiae tradiderit, ei que prospera quaeque pro bene in se consultis ut eueriant, grato animo iam nunc deum comprecetur. Doctoribus in hac academia operam dedit, philosophiae caussa Mullero et Gottschedio; metaphysics, Hebenstreitio: et rursus ei, et Sankio, et Bosio, in Hebraicis litteris addiscendis: in theologia, Boerneru, Klausingiu, Deylingiu, Pfeifero, qui superiore anno ad meliorem vitam vocatus est: dein quoque Weisio ac Tellerio. Idem eum, et Hofmanus, et Friderici, quae ex illis litteris reliqua videbantur, morum e sacris pracepta, interpretandi sacri codicis leges, declamandi inter sacra rationem, docuerunt: historiam cum catholica sacram Ioecherus, ius ecclesiasticum Schoenius, cuius item benevolentiam laudat. Tandem se quoque et colloquiis academicis acuendum praebuimus ait

**XXVI**

se ait, Klausungio, Deylingio, Weisio. Secundum haec philosophiae Baccalaureus nuper est ab ordine nostro creatus.

**IOHANNES FRIDERICVS FEIGIVS**

LEHN A SILESIUS

**N**atus hic a C. N. c. 1500 CCXXI. Tobia Feigio patri eius nomen est, matri Mariae Rosinae Maieriae. In quo natus erat opido, quod Iauriensi in agro, ad Hebrum Silesiae, vt aliqui id flumen vocant, infra Lembergam situm est, parentes eum domestica primum institutione, hanc in rem magistro, cui nomen Wengero, dato, ad annum aetatis XII. litterarum rudimentis formandum curauerunt. Inde per annos ille duos Hirsberga, vt frequentiore in opido, praceptor Zellero artium magistro, litteris Latinis Graecisque addiscendis se dedit, mox Budissinam petens, ludo ibi litterario operatos, Ianum et Weisum magistros, alteris duobus annis audiuit, et rursus ad priorem conuersus sedem, Henselium, et Weimanum, qui scholis honestarum artium praecessent Hirsbergae. Ad nos delatus a C. N. c. 1500 CCXXXVIII. huic bonae mentis ac liberalium disciplinarum vniuersitati insertus est Richtero rectore. Doctores sectatus est in philosophia, Mullerum; in theologia, Deylingum, Hebenstreitum, Tellerum, Weisum. Nuper ab ordine nostro primis philosophiae honoribus ornatus, intentias quasdam, vt mos est, edidit, et publice defendit, adscito Christiano Benedicto Kahlio, Hirsberga Silesio.

**CHRISTIANVS LUDOVICVS STOLTE**

LONGOSALISSA THVRINGVS

**M**ultis constricta fibulis pepla delicatores olim Graecorum matronas gestauisse, si Aelianus litteris consignatum non tradidisset, neque poetae paucim designarent, tamen ostenderent veterum signorum reliquiae. Maiores nostri ante ducentos prope annos, cum desissent incedere tunicis ad talos demissis et ampliter manicatis, bracciati luxuriosius, fenestratis vestimentis ac variis, ingeniosa semper in cultus opulentia, nouum veluti genus fibularum inuexerunt. Sunt quaedam quasi capita clavorum alteri tunicae strictioris fimbriae adsuta, quae alterius fimbriae fissuris inserta, eam vt thoracem, per pectus et alium decurrente ordine, alligant. Hos clavos, non ea tantum parte, qua conuenit, sed alias per vestimentum otiose sparsos, aureos interdum et argenteos, aut aliis metalli lamina factos, nonnunquam geminatos quoque ac gemmeos vidimus. In eo tamen

yfus.

usus maxime stetit, ut cornei aut lignei textura quadam e filis  
 aureis, argenteis, bombycinis, cetera, consertis in aliquem mo-  
 dulum, musuarios velut imitantem, etiam nunc induantur. Eo  
 artificio, in quo nonnihil inest ingenii, seque et familiam ho-  
 nestae alit pater nostri Henricus Stolte. Ei Longosalissae in  
 Thuringis ex vxore Maria Elisabetha Mulleria natus est hic  
 filius anno huius post C. N. saeculi XIIII. Posteaquam is aliquo  
 tempore in ludo litterario ciuitatis patriae, sub disciplina magi-  
 strorum Groebelii et Olpii, meruisset, flexa patris voluntate ad  
 fouendum iuuenilem in honestis litterarum studiis constantiam,  
 Vitebergae stadium doctrinae sibi decurendum maius sumvit a  
 C. N. c1010ccXXXIII. Ibi doctoribus usus est, in Philosophia  
 fere omni et in Hebraicis litteris, Baumeistero; in theolo-  
 giae praceptoribus, et morum e sacris disciplina, Haferungio; in  
 legibus interpretandi oracula sacri codicis, Klugio ac Spierio;  
 in historia, Bergero; in re litteraria, rursus Spierio: in mathe-  
 maticis, Weidlero. Inde post tres annos redux in patriam, et  
 morbo, qui eum tentauerat, liberatus, mox Gottingam se con-  
 tulit, naesci que adfuit academie, ibi que sectatus est in hi-  
 storia, Treuerum; in Hebraicis, Waehnerum; in latinis litteris  
 et rei scholasticae institutione, Gesnerum; in mathematicis, Se-  
 gnerum; in philosophia, Hollmanum: in theologicis, Ribouium,  
 Feuerlinum, Oporinum, Crusum. Inprimis coluisse se ait Heu-  
 manum, quem de historia sacra de que re litteraria differen-  
 tem, et librariam cognitionem in bibliotheca sua explicantem,  
 sedulus audiret, eamque ipsam ob causam usum se quoque di-  
 cit praceptoribus Steinuehrii. Publice propositas sub Heumano  
 dissertationes colloquio academico defendit duas: alteram de  
 γεωγραφᾳ Christi, alteram in Psalmum XXVIII. Eorum vi-  
 rorum humanitatem in se praedicat et doctrinam, ea que se in-  
 vitum caruisse, cum ad absoluendum constanter ac severalege  
 stadium sibi opus esse Lipsiensi academia videret. Ei inter ci-  
 ves adscriptus est, rectore Hommelio, ante hos duos annos, et  
 ab eo tempore interfuit praelectionibus in theologia, Wollii;  
 in antiquitatibus Hebraeorum, Hebenstreitii; in Hebraicis litte-  
 riis, Sankii; in historia catholica, Ioecheri, meis que, in quibus sim-  
 gularem industriam atque assiduitatem adprobauit mihi. Re-  
 rum Germanicarum et imperii vices enarrantem audiuit Masco-  
 vium; de historia sacra differentem, Ioecherum; de re litteraria,  
 Menzium; de stili praceptoribus, Kappium atque Ernestium: super  
 D 2

Ger-



## XXVIII

Germanicis litteris, Gottschedium ac Maium. Qualem cum cognouisset ordo noster prima philosophiae laurea nuper exornauit.

CHRISTIANVS SAMUEL FORBIGER VS

Samuel Forbigerus medicinae doctor in hac vrbe fuit, qui ex vxore Susanna Magdalena Panischia hunc filium suscepit anno huius saeculi **XIIII**. Eum patre mortuo educandum et litteris imbuendum custodiuit avus, qui Rogeliti prope Martisburgum vico sacrorum curam gerebat. Aui quoque post fata in Orphanotrophium, ut vocant, in suburbio Salinarum agri Magdeburgici, receptus est, vbi totis octo annis meruisse le ait sub magistris Silchmullero, sacrorum in aula Brennopolitana Baruthi nunc antistite, Baumgartio professore theologo academie ad Salinas, Hagenio in gymnasio Coburgico nunc professore, et Immermano, gymnasii Magdeburgici conrectore. Hoc stadio absoluto Ienam concessit a C. N. **circa 1538**. Doctores ibi factatus est in mathesi et philosophia discendis, Hambergerum, Koehlerum, Carponium, Reuschium; in historia, Buderum et Fabricium, in litteris Hebraicis, Tymplium et Rusum: in theologia, Walchium et Weissenbornium. Rursum inde ad Salinas versus alteros tres annos in ea exegit academia, operam que dedit audiendis in litteris Graecis et Hebraicis, Michaeli vtrique, et Callebergio; in historia, Schmeizelio, Zsackeuizio et Knappio. Nostraes academie adscriptus est rectore Hommelio, sub finem anni a C. N. **circa 1538**. Ab eo tempore doctorum hic scholis interfuit, in historia, Ioecheri, in theologia, Deylingii, in colloquiis academicis, Hebenstreitii et Wollii. Ab ordine nostro prima philosophiae laurea nuper cohonestatus, moderante Hebenstreitio quaestionem *de erigendis capitibus in adiuvatu Messiae*, publice disputauit, et summos theologie honores Weisio et Tellerio nostris collatos oda Latina publicata superioribus diebus gratulatus est.

GODOFREDVS SCHVTZIVS

WERNIGERODA SAXO

Vernigeroda cum arce opidulum, in agro Saxonico, qua Brunouenses excurrunt fines, non procul Halberstadio, ad radices Bructeri montis situm, partem nominis e Theotisco vocabulo Rode traxit, quod commune ei cum opidis aliis ac vicis, significare locum arboribus earum que truncis impeditum, qualia sunt fere saltuosa, olim ab aliis obseruatum fuit. Celebris ea

et

et vetus Comitum Stolbergensium sedes, rectorem Lycei habuit Euftafium Fridericum Schutzium, cum ei filius Godofredus nasceretur, a C. N. c. 10 1000 XVIII, dein Altonam vocatum, ut munus professoris et gymnasii directoris ibi subiret, quod postea, ad facrorum illius municipii curam admotus, posuit. Mater est Anna Elisabetha Schmidia, Halberstadio oriunda. Litterarum atque liberalium artium rudimentis diligenter imbutus patris ipsius opera, simul egregia institutione patrue lis Henrici Caroli Schutzii, Vernigerodae item ludi litterarii rectoris, in Fridericianam ad Salinas academiam concessit anno huius post C. N. saeculi XXXVIII, ibi que doctores fecutus est in philologicis, Michaelis et Knappium; in philosophia ac mathesi, Baumgarten, et Profum, et Krugerum; in theologia, rursum Baumgarten et Langium: quorum omnium fidem laudat ac doctrinam. In his honestarum artium et theologie studiis adiutum se fuisse, ait, consilio Maieri diuin. oraculorum ea in vrbe interpretis: praeterea se totum dedisse humanitatis litteris, et historiae rerum que veterum cognoscendarum studio, et poeseos latinae facultati, cuius etiam quaedam edidisset specimen, atque aliis litterarum studiosis pracepta stili latini tradere coepisset. Denique superiore anno, rectore magnif., qui etiamnunc praefest, Gottschedio, inter nostros census, in stadio coepito, praeferunt oratoriae in sacris, et iuris canonici caussa, hic quoque se decurrere profitetur: prima philosophiae laurea ab ordine nostro nuper cohonestatus.

### IOHANNES DAVID WENDLER

NEOSTADIO MISNICVS.

Iohannes Iacobus Wendler, Neostadio ad Orilam haud obscurro in opido caussarum patronus a C. N. c. 10 1000 XIV, ex vxore Ioh. Sibylla Zinsmania hunc filium suscepit. Litteris primis imbutus est sub magistris Dauide Wendlero et Kramero: e quibus ille ludo Neostadiensi praefectus est. Vtriusque laudat fidem et doctrinam. Numburgum inde conuersus profecit sub Stemlero, qui his ipsis, quibus haec scribimus, diebus, summos theologie doctoris honores in hac academia tulit: eo tempore ludum eius vrbis regebat. Ibi quoque magistris visus est Peucero et Schochero, qui adhuc ei rei praefunt. Lipsiam adiit a C. N. c. 10 1000 XXXII, ius ciuitatis nostrae adepus rectore Kappio. Doctoribus inter nos operam dedit, philosophiae discendae caussa, Mullero et Gottschedio: humanitatis

in litteris et in historia, Ioechero, Menzio, Kappio: in theologia, Boernerio, Klausfingio, Deylingio, Pfeiffero, Hebenstreitio, Weisio, Tellero, Pezoldo, Fridericio.

IOHANNES FRIDERICVS IVGLER.

WETTEBVRGO MISNICVS

**W**etteburgum vicus est, qui ad tertium lapidem Numburgum Ienam versus distat. Ibi patrem habet noster Iohannem Martinum artium magistrum et sacrorum interpretem in eo agro: matrem Susannam Dorotheam Friderici. Ex his natu anno huius post Christum natum saeculi **XIIII**, sub disciplina primum Ioh. Martini Wagneri, quem praceptorum a fide et probitate laudat, crevit: dein domi suae eum recepit auunculus Ioh. Christophorus Friderici, qui sacrorum agri Tauteburgici antistes, decessorem in eo munere auum nostri maternum habuerat. Illius in se curam et benevolentiam gratus praedicat, et in ludo post illa litterario Plauiae in Nariscis aliquo tempore se profecisse ait, beneficiis praesertim adfinis sui Godofredi Forsteri ornatum: mox in ludo Portensi principalis munificentiae alumnus, magistris Schrebero, Beslero, Weidnero, Freytagio, Hubschio, se vsum, in primis vero bene de se meritos coluisse, Waltherum, Schrammum, Stubelium, Hentschelium, Bernium. Eorum omnium diligentiam agnoscit et fidem. In hanc academiam delatus a C. N. **CIO IOCC XXXIIII**, adscriptus est ciuibis nostris rectore Kappio, atque sectari coepit in philosophia discenda, Mullerum; in humanitatis litteris, Kappium et Ioecherum, sibi que praesertim rerum antiquarum, quibus iurisprudentia illustratur, placuisse refert studia. In ipsa iurisprudentia doctoribus esse vsum, Rechenbergio, Ioh. Flor. Riuino, Mascouio, Hommelio, Bauero, et rursus Mullero, cuius praelectionibus iuridicis per quatuor annos se intersuisse. Hoc absoluto studio, benevolentia et iudicio Menkenii, qui Regis nostri a consiliis aulae, suo, et patris, et aucto inter nos nomine claret, se adiutum profitetur eo praesertim, quod is adfini suo libero Baroni ab Hohenthal, regis nostri ab armorum consiliis sanctioribus, se custodem eximiae indolis filio futurum tradidisset. Ea in domo se biennium exegisse, atque eum fauoris et gratiae fructum cepisse. Inter haec inscriptioni quoque operam dedit, *de eruditis Saxonie principibus libello*, et *de iudice sedente ex antiquitatibus epistolica ad Kappium doctorem suum dissertatione publicata*.

CHRI-

## CHRISTIANVS STEYERVS

AVMA NARISCVS

**A**uma sive Nariscorum, seu potius Misniae, qua Osterlandia dicitur, opidulum in finibus Nariscorum est, proxime ad Orilae fontem ad ortum, sui nominis riuo irrigatur. Ibi Christianus natus anno huius saeculi **xvi**, patrem habuit cognominem, vectigalibus eius agri regio nomine colligendis praefectum: matrem habet, Christianam Stauffiam. Posteaquam parentes domestica institutione et litterarum rudimentis imbendum diligenter curauissent, in lyceo Schlizae opidi coepit mereri sub magistris Haynischo et Schlottero, qui eum ludum regunt, quosque doctrinae ac fidei nomine valde praedicat, eis que diuturnam et bonis omnibus affluentem vitam optat. Eos duces fecutus plus annis sex, ad hanc academiam petendam animum adiecit, in albo ciuium nostrorum scriptus a C. N. **c. 1000 xxxvi** rectore Boernerio. Doctoribus inter nos operam dedit, in philosophia quidem, Menzio ac Mullero; in litteris Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Hebenstreitio; in theologia, Boernerio, Klausino, Deylingio, Pfeiffero, Hebenstreitio, Tellerio, Wollio. Benevolentia praeterea Hebenstreitii se adiutum memorat.

## MARTINVS THEOPHILVS DITTMARVS

SPREMBERGA LVSATVS

**P**atri cognomini, qui serenissimi Henrici Saxoniae ducis Sprembergae tum vitam degentis symphoniacis praefectus esset, postumus a C. N. **c. 1000 XVI** ex vxore Anna Dorothea Frenkelia natus. Principalis in vtrumque parentem fauor natum eum aliquandiu fouit, et institutione, qua prima formatur aetas, beaut. Mox ad Salinas in Saxonibus ille ineunte pueritia conuersus, in ludo litterario orphanotrophii, vt vocant, annis quatuor profecit. Inde Berolinum se contulit, vt in gymnasio Fridericiano (dem werderischen) litteris descendis operam daret. Vbi benevolentia et Stahlii, in arte medica celebrati, et Kusteri eius gymnasii rectoris subleuatum se ait. Martisburgum postea, vt inopiam aliqua ampliore spe laxaret, vbi petisset, cum eum sereniss. Henrici munificentia, quae Sprembergae velut principali in umbra natum fouerat; et ibi, et postea Lipiae, aliquantis per aluit, tum etiam idoneos doctrinae parandae magistros nactus est in gymnasio Martisburgensi Henkelium et Hofmanum. Ad nos transiit a C. N. **c. 1000 XXXVII**, ciuium

AK Yc 7328 X 237 3862

XXXII

vium catalogo insertus rectore Baudisso. Doctores habuit in philosophia, Mullerum et Winclerum, quo in mathematicis quoque se usum esse profitetur: in re litteraria recentiore, et in velitando colloquiis academicis, Menzium; in litteris Hebraicis, Hagerum; in theologia, Klausingium, Weisium, Tellerum, Hofmanum, nunc Vitebergae docentem.

IOHANNES ADAMVS NONNE

ICTERIS VSA THVRINGVS

Sacerdotum olim sodalitate, et hodie praefectura nobilis, ad Hieram fluuium sita in agro Gothano, Icterisus est. Liceat enim Latinarum beneficio litterarum emollire obiter priscae asperitatis Germanica nomina. Aliter ea nullum os audeat recitare trans Alpes aut trans Rhenum figuratum: neque propterea, his velut senticetis illi absterri, curent ea, quae scribimus. Multa in flectendis ad has rationes peregrinis vocabulis doctorum virorum ante ducentos annos extitit dexteritas, quae deinde spreta aut ignorata, latinitatem nostrorum hominum paene omnem barbarae negligentiae quibusdam quasi maculis dishonestauit. Icterisusae igitur natus est noster a C. N. 1500 1500 XVIII patre Georgio Friderico, qui eam ad praefecturam sereniss. ducis Gothani nomine in actu rerum Commissarii vocabulo esset. Is instituendum litterarum rudimentis filium diligenter curauit, ea in re doctissimorum consilio usus, deinde in gymnasium Gotha inter adultiores colloquandū a C. N. 1500 1500 XXXIII. Ienam conuersus anno sequenti, doctores ibi audiuit humanitatis in litteris perdiscendis, Kromeierum, Rusium, Hallbauerum; in philosophia, Koelerum, Carpovium, Herzogium, Hambergerum, alios; in historia, Struuum, Buderum, et rursus Herzogium; in theologia et historia sacrorum, Walchium, Rusium, Syrbium; in iure canonico, Kemerichium. Postea cum mors parentis academicam illam conuersationem interpellasset, aliquo tempore Hilperusae Coburgici in Franconibus olim agri, iam fede ipsa principali Sax. ducum, vixit, in domum receptus Hommelii, qui sereniss. ibi ducis a consiliis eccles. est, et filio suo eum custodem et magistrum adhibuit. Interea quoque curae sacrorum vicinis in locis se subinde, et aliorum item adolescentium institutioni destinatum, Lipsia obiter salutata, Noribergam deuenisse commendatione Weisii nostri ait, ybi nobili adolescenti a Scheidlin comes datum, Lipsiam redire aliquando, si in fatis hoc sit, cogitet.



